

1451 Æstenses ingenti plausu & læticia advectus est : ibi, omnibus publice paratis, in hospitio fuit. Leonora post aliquot dies Venetas applicuit. Eam, ut majore ornatu in urbem veheretur, placuit triduo ad Nicolai ædem in litore esse: tum festa die Bucentauro, ubi Principis conjunx ducentæque patriciæ fœminæ, eleganti forma præditæ, cæterum purpura, auro, gemmisque fulgentes erant, excepta est. Idem fere navium apparatus, qui & Fœdericum, illam tota urbe secutus est. Ad Eustachii fanum apud Victurios desedit. Ex primoribus Patrum eam mane vesperique officii causa adibant. Dicta interim dies, qua tanti hospites ad suavissimum spectaculum venirent. Instructo itaque ad tempus comitio, jussæ eo convenire ex patricio ordine, forma & ornatu præstantissimæ quæque. Leonoræ in publicum venienti bullam auream, tribus gemmis precio duum millium ac sexcentorum aureorum nummum præditam, Patres dono misere; palliolum præterea futuræ sobolis omen, cum stragulo cunali, ex purpura margaritis inserta. Saltavit uterque publice ad tibias: per cantus & varios jocos lux illa acta est, indulxitque civitas plures dies hospicio & læticia, quum ingens alioquin Gallici belli cura instaret; ex quo datur intelligi, Venetos præ cæteris Italici nominis hospitalis munificantia semper studiosos fuisse.

Fœderico itaque abeunte, confessim Patres ad bellorum sumptus perferendos Senatusconsultum fecere: ut urbani peregrinique magistratus, judices, scribæ, cæterique inferiores ordines magistratibus ipsis subjecti, qui publicum aliquo modo salaryum mererent, Reipublicæ vectigales essent; & ut patricii magistratus post annum munus (eternim suum cuique in id tempus est præmium ascriptum) gratuitam Reipublicæ operam in sex proximos menses impenderent: hodie quatuor tantum exhibetur: unde suspicari libet, ut vectigalium, quod plane constat, ita quoque temporum rationem quandoque variatam. Erat igitur vernum anni tempus, quando Sforciæ bellum est illatum; ac sub primos motus, Laudensi agro aliquandiu infestato,

Gotho-